

& Apollinem eius patrem inter sidera anguem tenentem constituisse, ut quidam dixerunt, hac de causa anguem tenere dicitur: quod cum Glaucum cogeret sanare conclusus quodam loco secreto, bacillum tenens manu, cum quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum eius atrepsisse, quem Aesculapius mente commotus interfecit bacillo fugientem feriens sapius. Postea fertur alter anguis eodem uenisse, ore ferens herbam, & in caput eius imposuisse, quo facto, loco fugisse, quare Aesculapium usum eadem herba & Glaucū reuixisse. Itaque anguis & in Aesculapii tutela & in astris dicitur collocatus, qua consuetudine ducti posterius eius tradiderunt ut reliqui medici anguibus uterentur.

Sagitta.



Anc unam de Herculis telis esse demonstrat qua aquilam dicitur interfecisse, quae iecinora Promethei fertur exedisse: de quo pluribus uerbis dicere non uidetur inutile. Antiqui cum maxima cerimonia deorum immortalium sacrificia administraret, soliti sunt totas hostias in sacrorum consumere flamma. Itaque cum propter sumptus magnitudinem sacrificia pauperibus non contingerent, Prometheus qui propter excellentiam ingenii miram, homines finxisse existimatur, recusatione dicitur ab Ioue impetrasse, ut partem hostiae in ignem proiicerent, partem in suo consumeret usu. Idque postea consuetudo firmavit: quod cum facile a deo non ut ab homine auaro, impetrasset, ipse Prometheus immolat tauros duos, quorum primum iecinora cum in ara posuisset, reliquam carnem ex utroque tauro in unum composita, corio bubulo texit. Ossa autem quae circum fuerunt, reliqua pelle cōtecta, in medio collocauit, & Ioui fecit potestatem, ut quam uellet eorum consumeret partem. Iupiter autem & si non pro diuina fecit cogitatione, nec ut deum licebat omnia qui debuit ante providere, sed (quoniam credere instituimus historiis) deceptus a Prometheo, utrumque putans esse taurum, delegit ossa pro sua dimidia parte. Itaque postea in solennibus & religiosis sacrificiis carne hostiarum consumpta, reliquias, quae pars fuit deorum eodem igni cōburunt. Sed ut ad propositum reuertamur, Iupiter cum factum rescisset, animo permoto mortalibus eripuit ignem, ne Promethei gratia plus deorum potestate ualeret, ne ue carnis usus utilis hominibus uideretur, cum coqui non posset. Prometheus autem consuetus insidiari, sua opera ereptum mortalibus ignem restituere cogitabat. Itaque ceteris remotis uenit ad Iouis ignem, quo diminuto & in ferulam cōiecto, letus ut uolare non currere uideretur, ferulam iactans, ne spiritus interclusus uaporibus extingueret in angustia lumen. Itaque homines adhuc plerumque, qui laticiae sunt nuntii, uolunt celerime ueniunt. Praeterea totum a certatione ludorum cursoribus instituerunt ex Promethei consuetudine, ut currerent lampadem iactantes. Pro quo Iupiter facto mortalibus parem gratiam referens, mulierem tradidit his, quam a Vulcano factam deorum uoluntate omni munere donauit. Itaque Pandora est appellata. Prometheum autem in monte Scythiae, nomine Caucaaso, ferrea catena uinxit: quae alligatum ad triginta milia annorum Aeschylus tragœdiarum scriptor dixit. Praeterea admisit ei aquilam, quae assidue noctu renascentia iecinora exesset. Hanc autem aquilam nonnulli ex Typhone & Echidna natam, alii ex Terra & Tartaro, complures a Vulcano factam. Polyzeus autem Vulcani factam manibus demonstrat, animamque ei ab Ioue traditam dicunt. Sed eius de solutione hanc memoriae proditam esse causam. Cum Iupiter Thetidis connubiū pulchritudine corporis indutus peteret, neque a timida uirgine impetraret, neque ea te minus efficere cogitaret, illo tempore Parcae cecinisse feruntur fata, quae perfici natura uoluit rerum, dixerunt enim quicumque Thetidis fuisset maritus, eius filium patria fore laude clatiorem, quod Prometheus non uoluntate sed necessitudine uigilans auditum, Ioui nunciauit, qui ueritus ne id quod ipse Saturno patri fecisset, in simili causa patris regno priuatus cogeret, destitit Thetim uelle ducere uxorem, & Prometheo pro beneficio meritam retulit gratiam, eumque uinculis liberauit, neque quod illi fuerat iuratus remisit, uacuum omni alligationi futurum. Sed memoriae causa ex utraque re hoc est lapide & ferro sibi digitum uincite iussit, qua

g consuetu